

**2**

**Q**

uisti

in omnes

um

que in

quorum alle

ut in ore eorum om

ni

um

ta ut nomen sanctificationis su

ov

Recht im Ab

10

U. q. 17, 9



D. O. M. A.

DISCURSUS CIVILIS

De

OSTRACISMO,  
ALIISQ. COGNATIS  
REMEDIIIS;

*Quem*

Annunte Inclyto Philo-  
sophorum Lipsiensium Senatu,

Moderante

*Viro Excellentissimo atq. Clarissimo*

DN. JACOBO THOMASIO,

Orator. P.P. Celeberrimo, Collegii minoris  
Principum Collegiato &c.

*Domino Praeceptore ac Patrono observanter  
colendo,*

*Placida disquisitioni sistet*

ABRAHAM CALOVIUS, REGIOMONTA-  
NUS BORUSSUS,

*A. d. 24. Septemb. A. O. R. cl. lre LIX.*

*H. L. Q. C.*

LIPSIÆ,

Typis Wittigavianis.

*Mons. Zytel.*

Discipulus  
OSTRACIA  
ALISO  
BY JACOBO THOMASIO





D. O. M. A.

## Præliminaria.



Orum, qui in regendâ Republicâ versantur, cura, non in eo solum consumi omnis debet, quomodo Resp. ordinatè formetur, & si quid vitii ei insit, solerter corrigatur; sed & pro eâ jam optimè constitutâ, conservandâ, prudenti vigilantia ut excubent, egregium maximè ac fructuosum esse videtur. Nostris certè his temporibus, ubi rarissimè & paucis admodum contingit de novo constituere Respubl. omnibus vero incumbit jam constitutis laborantibus consilio & ope suâ subvenire. Quorsum enim est, si vel ad Platonicæ sapientiæ præscriptum, tanquam ad amissim, ordinetur, nec tamen sit, qui eam mutationi aliisque periculis obnoxiam salvam quam diutissimè conservare queat? Imminet autem liberis suisque legibus viventibus Rebuspubl. ingens periculum à viris eminentibus, & ultra privatorum conditionem potentiâ, divitiis, tyrannis virtus quoque metuitur, amicitiis clientelisque pollentibus. Ea enim est magnorum, cetera summis virtutibus excellentium hominum natura, idque ingenium, ut cupiditatibus suis, & ambitioni maximè, quæ sapientibus quoque novissima exiit, modum statuere vix unquam sciant. Themistocles ad imperandum natum se prædicabat; & Jasonis dictum refertur, miserum se vocantis, quod non regnet. Nim. rarissimus quisque est, qui, etsi non verbis, tamen apud animum suum non probet C. Cæsaris dictum:

*Nam si violandum est jus, imperii gratia violandum: aliis rebus pietatem colas.*

In Repub. Romana, unde omnium rerum magnarum exempla meritò petuntur, quid factiones & in medio foro primùm civilium armorum tentamenta, mox introduxit aperta inter cives bella, & antiqui moris corruptionem, & denique libertatem, quæ toti præpe

rarum orbi libertatem detraxit, evertit, nisi paucorum nimia potentia? qui cum, continuatis & infinitis imperiis populi inconsultum favorem acquisivissent, tandem illo in ipsum patriæ exitium usi sunt. Hinc neque Cæsar superiorem, neque Pompejus parem ferre potuisse dicitur. De divitiis immensis privatorum, quæ regis opibus pares aut superiores erant, quibus exercitus suos faciebant, & plebem donis, ludis, spectaculis sibi devinciebant, incredibilia narrantur. Succubuit igitur hæc in parte Romana prudentia, & quæ tot gentibus, tot regnis, tot provinciis gubernandis par erat, ea, ubi propria libertas custodienda veniebat, fato quodam suo defecit. Cum itaque domestico hujusmodi & satis præsentis discrimini expositam esse Remp. prudentissimi quique populi non ignorarint, diversis rationibus & institutis anxie curarunt, ne quid & hæc in parte ipsorum Resp. caperet detrimenti. Nos, uti ceterarum gentium mores silentio prætereamus, quid consilii hoc in negotio Athenienses ceperint, paucis delibabimus.

Ostracismus Quale is exilii genus. De ejus origine  
sententiæ variæ. Quando desierit.

C A P I T U L U M

Athenarum urbem, veluti sidus & ornamentum Græciæ, tum omnis humani inventi elegantia, tum præcipuè literarum studium, (quod indictum si omissem, Musas mihi certe iratas haberem, & Minervam urbis præsidem,) longè supra ceterarum civitatum populos collocavit. Hinc ipsi adfuit Remp. suam rectè gubernandi ars. Abundabat enim viris ad gubernacula Reip. gerenda politicâ eruditione & pragmaticâ scientiâ instructissimis. Neque ii accersendi aliunde erant, quin potius ab eâ petebant aliæ gentes, pub. quos consiliis adhiberent. Sanè Romani, qui totius orbis imperium tunc meditabantur, ut haberent viros bello togaque integros, juvenes ingenti sumtu Athenas in spem Reip. suæ mittebant, ut isthinc capessendam ad Remp. idonei redirent. Erant enim eæ tunc augustissimæ Musarum ædes, & omnium disciplinarum scientiarumque quædam quasi officina, ut verè communem omniû gentium Magistrû Athenas nuncupaveris. Ex quo fonte etiam manarunt præstantissima quæque instituta, & ut Cicerone loquitur, in omnes terras distributa

*buta sunt.* Observa in omnes terras distributa sunt. Ita ab illis Lacedæmonii acceperunt. Et Romanos ab illis accepisse, & ut plurimum certatim secutos esse, nemo est, qui ignoret.

II. Inter alia vero usitatissimus huic civitati, (quamvis & aliis quoque urbibus, in his Argivis etiam Megarensibus, & Milesiis communem fuisse non negem) ostracismus fuit: Erat autem ostracismus (dictus ab ostraco i. e. testulâ, cui cives nomen ejus, quem pellere urbe cupiebant, inscribebant) inventum, quo nimia in Rep. potentia molestos aut suspectos quodam quasi exilio enervarunt, ne velut adnascens hedera arborem, sic illi Remp. obumbrarent & suffocarent. Prorsus consentaneum Democraticæ regulæ: Quanquam ex Ephesiorum sententiâ Cicero V. Tusc. commemorat in hæc verba: *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco & apud alios sit.* Hanc Venetos observare auctor est *Jovius r. histor.* quando dicit: *nec quemquam temerè ex optimatibus qui vel insigni virtute vel spiritu in gerendis rebus ceteros antecellat, nimio plus crescere, vel collecta gratia potentem & clarum fieri patiuntur.* Quo ostenditur, in bonis etiam Rebuspubl. excedentem virium valorem suspectum esse solere, quem populi applausus sequitur, Sed revolvimur ad Atheniensium ostracismum, quem quasi *medicinam* fuisse *Plutarchus in Niciâ* scribit, *cujus nim. ope ad expurgandam civitatem constituto tempore populus uti solebat; nam exilium ei indicebatur, qui ceteros gloriâ, divitiis, existimatione superaret.*

III. Fiebat autem id in foro loco septo. In hunc per decem aditus populus, in totidem tribus distributus, ingrediebatur, præsidentibus novem archontibus ac Senatu; & nisi sex mille ad minimum testulis aliquis damnatus esset, non tenebatur urbe exire, quem vero tot testulæ condemnassent, eum intra decem proximos dies in exilium ire necesse erat. Videantur Antiquitatum observatores diligentissimi *Carolus Sigonius de Rep. Atheniens. II, 4.* & *Joannes Meursius Lect. Attic. V, 18.*

IV. Differabat autem ab exilio ostracismus; quòd illic bona etiam fuerint publicata, hîc non exciderint bonis suis; dein, ostracismo ejectis tempus ponebatur præfinitum, quod exulibus non fiebat. Salvas illis facultates mansisse patet ex *Plutarchi Aristide.* Ostracismo tempus præfinitum patet ex eodem *in vita Niciæ & Aristidis,* ubi re-

fert tempus decem annorum fuisse, cui etiam *Nepos III, 1, 5. V, 3, 1.* consentit. Fuit ergo non poena, decennale illud exilium, sed mitigatio allevatioque invidiae, ut dignitatem eorum & auctoritatem deprimerent, qui uni omnium excellerent maxime & antistarent.

V. Ita missi sunt in exilium à suis civibus Themistocles, Cimon, Thucydides, Alcibiades & Aristides, qui omnes nimiam potentiam & virtute conspicui erant. Praeclarum illud & ad memoriam posteritatis insigne, cum comitia ostracismo essent indicta, agrestis quidam homo & rudis planè ac literarum ignarus, in forum properans, in Aristidem, qui Justus ut erat ita appellabatur, incidit, eumque testula oblata, ut Aristidis nomen inscriberet, rogavit. miratus Aristides, cum quaesisset, num quid ab Aristide mali accepisset, minime verò, inquit ille; imò hominem ne novi quidem, sed vulgatum istud Justici cognomen, a quo animo ferre non possum. Pulsus est ergo Aristides, quod Justici cognomen offenderet. Pulsus Damon Periclis Magister, quod prudentiae opinionem haberet.

VI. Sed age de origine ejus dicamus, quam incertam valde video. Nonnullis placet primum *Clisthenem* instituisse & expertum etiam esse *Aelianus var. hist. lib. 13. c. 24. Heraclides de Rebus publ. Pisistrati filium Hippiam* auctorem facit. Alii referunt ad *Achillem Lysonis filium*. Sunt qui antiquiorem adhuc faciant, & in *Theseum* rejiciant. Vides quam sint variae sententiae. Ergo, quando inceperit incertum. Illud certum desuisse in *Hyperbolos*; indignante nim. populo, hominem nequam conspirante *Alcibiade & Nicia* eo genere poenae ejectum, quo in viros tantum praestantissimos ad id temporis usi essent. Atque haec dixisse sufficiet. Plura qui avert scire de Ostracismo, adeat *Cl. Dn. Bæclerum in Indice in Cornel. Nep. Tholosanum de Rep. lib. 22. c. 10. §. 5. Besoldum II. Pol. 9, 26. & Auctores ibidem adductos. Meursium in eruditissimis Attic. Lect. lib. 5. c. 18.* nec non insigniter locupletatum, & summam eruditione constipatum *Fabri Thesaurum, Dn. Aug. Buchneri.*

### In Ostracismi justitiam inquiritur.

#### C A P U T II.

An verò justam quaedam & satis piam ratione nitatur Ostracismus, precium operae omnino erit inquirere. Hic enim nodus multorum ingenia,



genia mirificè torfit ; aliis eum improbantibus approbantibus aliis. *Philosophus lib. 3. Pol. c. 13.* quamvis melius fore dicat, sic ab initio per *Legislatorem pro videri, ne Respubl. tali indigeant medicinâ,* tamen Ostracismum non improbat simpliciter. Quem & *Clapmarus lib. 4. Arc. c. 17.* ex jure dominationis defendit. Aquorum sententiâ ut recedam ratio firmâ me sanè nulla cogit.

II. Hujus itaque Ostracismi defendendi causa, hæ adduci rationes possunt. Prima nihil æque statum cujusdam Reip. posse conservare, ubi plurimi imperant, ac æqualitatem inter cives, cujus temperamentum quo excellentius eò Resp. illa magis perpetua, quieta & secura est. Comparatur civitas cum humano corpore ex variis elementis composito variisque partibus distincto, jam sicut illud magis sanum & pulchrius est, in quo quælibet qualitas elementaris rectius distributa est, ac quodvis membrum suam obtinuit proportionem : ita illa Resp. quæ certam observabit proportionatam æqualitatem, magis erit perpetua, ab omni contagio civilium seditionum libera. Nam etiamsi caput partium totius corporis nobilissimum sit, nequaquam tamen ornamento foret corpori, si vel ipsum, vel in eo oculi formam naturalem & magnitudinem exceßerint, imò omnem pulchritudinem & decorem adimerent. Igitur etiamsi videatur amplitudo civitatis in eò posita esse, ut in illâ reperiantur homines divites gloriâ & virtute excellenti præstantes : verissimum tamen est hanc excellentiam & eminentiam si nimia sit præportionem totius corrumpere.

III. Præterea qui perpendit quæ origines fuerint eorum malorum, quæ Resp. destruxerunt, deprehendet ex hæc radice ferè omnes dissensiones civiles interitusque Respubl. pullulasse, si crescenti enormiter civium potentia non esset maturè obex positus. Hinc enim eorum, qui novæ dominationi minus favent, proscriptiones, novæ leges, violata jura publica & quæ sexcenta alia suggerit stabiliendæ potentia ingeniosa perversitas. Loquitur degenerans Romanorum Resp. quando ea civium nimis illustrium armis lacerata miserè est.

IV. Inveniendum ergò fait omnino his tantis calamitatibus remedium, non lenissimum illud quidem, sed tamen necessarium. Metellus Numidicus Censor, cum Populum Rom. ad capeßenda matrimonia hortaretur : *Si sine uxore, inquit, possemus esse, Quirites, omnes eâ modestiâ careremus. Sed quoniam ita Natura tradidit, ne*

ncc

nec cum illis satis commodè, nec sine illis ullo modo vivi posset; salutè perpetuè potius, quàm brevi voluptati consulendum. (Agell. I. 6.) Ita si sine Ostracismo, solis remediis quibusdam provisionibusque, satis Athenienses commodè constanterque *ισονομίαν* suam, sive æqualitatem civium tueri scivissent, abstinuissent credo. Sed quoniam nulla tam ingens & penetrans prudentia hominum est, quæ omnes omninò in futurum casus prospiciat, & pari dexteritate destinatis remediis, antevertere possit: Quoniam de subito interdum exurgunt incivilia ingenia, aliquando ex moderatis & civilium patientibus contra spem omnium degenerant, levissimis ut plurimum momentis gratiam popularem, & spem fiduciamque subvectionis nacti: Ideò, ne obtineant illi, hoc est, ne interversâ æqualitate, forma Reipubl. immutetur; aut ne saltem in metu perpetuo sit Respubl. etsi hætenus quidem nihil moveant: expedit certè præsens ac strenuum remedium habere in promptu, quò secura sui Respubl. sit, ac coerceantur etiam, si quæ ingruunt, improba eorum vota machinæque. Illud verò remedium Atheniensibus Ostracismus fuerat.

V. Neque est, quod contra Ostracismum objiciat quis: h. m. sapius feriri innoxiam virtutem & quæ honoranda potius quàm plectenda sit. Facilis enim est responsio, quæ peti potest à publ. comodo, quod tùm in conservandâ Reipubl. tùm in seditionum occasionibus amputandis versatur. Idque est fundamentum Rationis status, ob quam interdum juri communi derogatur, cum iniquitatis quidem specie aliquâ, sed in quâ tamen, si intendas oculum, justitia appareat. Graviter dixere veteres: *Salus populi suprema lex esto.* Et *Cassius ap. Tac. lib. 14. An. Habet aliquod ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publ. rependitur.* Sic *Jason ap. Plutarchum in Politico* dixit, *licere aliquantulum recedere à justitiâ in rebus minoris momenti, si illa in magnis majorisque momenti perfecta servari debet.* Adde, quod contingere potest, ut & bonus commutet animum, & candoris fama sæpè straverit viam ad decipiendum. Rarò obfuit nimia sui cura, & quod dicitur, qui facilè credit, facilè decipitur.

VI. Scio & dicere nonnullos, (quibus etiam accedit magnus quidam Politicus, cujus scripta cum aditum mihi omninò ad civilem sapientiam recluserint, ejus nomen debito silentio veneror) ostracismo  
pulsos

pulsos sæpè instrumenta se præbuine affligendi patriam suam. Verùm si aliqui exules visi sint patriæ labores periculaque creasse, plurimos vicissim inuenimus patriam funditùs evertisse, motusque concitasse, quod tempestiyè in exilium non sint missi deportatique alio. Exemplorum plenæ sunt historiæ.

VII. Sunt qui obijciant Ostracismum quia famam lædat hoc potentiùs stimulare pulforum animos ad vindictam. At nos negamus Ostracismo famam lædi: Exulem patriâ esse res est per se nec simpliciter turpis, nec malum ita grave, quod perferri facilè ac æquo animo ab eo non possit, qui, quantum communi saluti debeat, perpendit. Id verò quod communiter exilium turpe efficit, est nim. turpis conditio ipsi annexa: si cui scil. pœnæ vel supplicii ergo imponatur eò, quod homo sit corruptis moribus & delicti reus. Hoc sublato respectu, extra patriam vivere hautquaquam speciem insignem mali præ se fert, cum quotidie deprehendamus quosdam ultrò sibi ejusmodi exilium consciscere, quò peritiores fiant rerum mundanarum, aliis etiam sub hoc quasi onere dignitates conferri videamus. Itaque, si quis legibus statutisque Reipubl. obtemperans urbe in aliquod tempus excederet, adeò exinde fama ejus nullam contrahit labem, ut ipse laudem potius mereatur, cum possit asserere, se ea obedientia patriæ ac reipubl. suæ inserviisse. Taceo quod ejusmodi exilium illi usui esse potest ad se subtrahendum laboribus, quos ob negotia publ. ferret alioqui, ac in quibus fortunæ mutationem experiri posset, & tradendum otio honesto litterarum, ut sibi vivat, quod multi habent pro maximo bonorum, cujus homo in hâc vitâ compos fieri queat.

VIII. Alii dicunt hoc modo ocludi virtutibus viam & detrahi excelsis spiritibus animum majora audendi, consequenter ipsam queque virtutem paulatim in exilium pelli. Sed nec hoc satis bene dici, vel hoc argumento colligamus, quod subinde tamen præstantiam virorum copia succrevit Atheniensibus quos Ostracismo expellerent. Nimirum hic est genius excelsæ mentis nihil curare, quod sibi ad veræ virtutis culmen grassanti obicem ponere possit. Suprà fortunam illa eminent, & nihil tam insuperabili vallo præclusum ipsi est, quod arduum sibi atque inaccessible putet, & penetrare non audeat. Satis illi præmiorum virtutis conscientia est, nec respicit id, quod infaustra

B

dubia-

dubiaque fors immittere ex accidenti possit. Itaque nihil sinistri timet, quia possidet id, contra quod hoc possunt calamitates & damna, & injuriæ, quod adversus Solem nebula potest. Adeo suo decore factis felix, & eorum, quæ foris accidere possint, incuria, nihil habere obvium potest, quod stadium virtutis graviter decurrentem moretur.

IX. Sed Ostracismo duo adhuc solent opponi. Unam, quod in eo sollicitudo ista & scrupulositas nimia esse videatur: alterum, quod magnis abusibus sit expositus. Sed à nimia scrupulositate facile illum summa varietas, & inopinata irruentia casuum; sollicitudo item in minimis quoque Reipubl. debita, & intimiores Rerumpubl. rationes excusabunt. Formula ista, *Non videbatur, à Cornel. Nepote in vitâ Miltiadis* non absque causa posita est. Athenienses tanquam malo suo sapius edocti, ex quibus olim causis nata Tyrannis esset, ipsum illud **VIDERI POSSE**, quasi pro tentato crimine habere coeperant. Itaque hæc causa sufficiebat ad exilium, ostracismo irrogandum, justamque esse censet ipse Princeps Politicorum III, 3. *Hugo Grotius* alicubi:

— — — *At culpâ vacat.*  
*Quin ista magna est culpa, quod fieri potest*  
*Materia belli. Ne periculo succubent*  
*Imperia; sæpè valuit in crimen timor.*

Etsi in Ostracismi causâ, propriè neque criminis neque pœnæ vocabula locum habent. Ad abusum quod attinet, is verum bonæ aliæ ac licitæ rei usum evertere non debet. Sic Medicos, quod necessariam artem Agyrtæ aliquando deformant, non expellimus urbe nostrâ. Sic Consiliarios nemo ex Aulis principum exturbat, quia perniciosus inter hos consultor. Neque leges civiles ideò abolendæ sunt, quoniam causidicorum pravitate interdum traducuntur.

Consilia quibus impediri possit, ne quis nimis potens fiat.

### CAPUT III.

Hactenus de Ostracismo ejusque justitiâ. Quam etsi perquam multi illi denegent, nos tamen asseruimus: argumentis, (siquidem indolem ipsam naturamque ac respectum remedii hujus, tum ante omnia

omnia rationem intimiorem ac statum Rerumpubl. non prout animo aut cogitatione, Platonicum in morem finguntur, sed prouti geri atque administrari possunt, inspicimus,) solidis perspicuisque. Jam porro, quod *cap. 11. §. 1. ex Aristotele* adduximus, ab hoc ipso quoque, Auctore summo, Ostracismum approbari: *sed tamen satius esse dicente, si ab initio Legislator provideat; ne Resp. tali indigeat Medicinâ: ejus nunc iterum recordamur.*

II. Provideamus ergo, quâ licet, & præstruamus solerter, ne aditus pateat. Facilius enim immittuntur vitia, quàm ejiciuntur. Salubre in primis est impedimenta objicere nimix potentix, instrumentis convellere fundamenta, quibus illa nititur, & velut subtractis alimentis ignem ambitiosum extinguere: Unde progredimur nunc ad ea; quibus impediri possit, ne quis nimis potens fiat. Et cum primis notamus summâ diligentia cavendum esse: *ne cui magne auctoritatis magistratus diu præterve consuetudinem continuetur.* Eo quippe ingenio sunt homines, ut, postquam multum temporis in potestate transegerint, patriis moribus hautquaquam sibi vivendum ducant. De cetero cui quis adsvetus id ægrè deponit. Transit enim in mores & naturam veluti, quo fit, ut, qui in imperio fuerint diu, vix unquam satis bonâ fide privati fiant. Neque enim coerceri se patiuntur animi temerè potestate semel elati, & inflammati deinceps cupiditate retinendæ potentix, nova consilia capessunt fermè & omnia miscent. Quare etiam *Aristoteles alias inter causas conversionum Rerumpubl. diuturna imperia* ponit. Atque id verum esse non solum Græcia atque Sicilia sed & Roma ipsa testatur. Neque enim aliunde bella civilia orta sunt. Et verè conjecerunt nonnulli *Cesarem sicut Suetonius (in ejus vitâ cap. 30.) observat, captum imperii consuetudine occupanda Reipubl. consilia arripuisse.* Conf. *quæ Casaubonianâ industriâ* ibi annotantur, & *Illustr. Forstner. n. ad Tac. p. 157. & 159.*

III. *Neque idem magistratus sæpius uni conferendus est,* tum ut alii quoque participes fieri possint honorum dignitatumque, tum etiam ne quis tantæ fortunæ svavitate toties illectus, privati hominis conditionem fastidiat denique, & ne assvetis bonis excidat, Reipubl. statum mutare non vereatur. M. Rutilius Censorinus, secundum à populo Rom. censor creatus, convocatâ sub initium plebe acriter illam reprehendit, quod bis suis humeris imposuissent illud munus,

B 2

dedis-



dedissentque eam potestatem, quam majores, quoniam nimis magna videretur, abbreviandam optimè judicassent. Quare permotus populus persuasusque ab eodem, lege prohibuit, ne cui in posterum hic magistratus bis deferretur.

IV. Ad frenandam etiam potentiam, haut parùm conducere videtur cautio secretior, quàm usi sunt Ædui, commendata nobis à *Cesare in commentariis*. Horum enim leges duos ex unâ familiâ, vivô utroque, non solum magistratus creari vetuere, verum etiam in Senatu esse prohibuere. Quorum posterius *s. Pol. Aristoteles* etiam rem admodum periculosam judicavit. Similem in modum Pompejus Columna impediit, ne Pontifex crearetur Julianus Medices, uti scribit *Jovius*, cum minimè consultû existimaret, sed rem ambitionis plenissimam pontificatum in eâdem familiâ, & in duobus fratribus, & tanto temporis spatio continuari.

V. Quoniam vero potestas omnis sine armis & milite manca, instabilis, & fluxa est, suaderem *ut nemini magnatum cujus indoles & formata jam vires nihil moderati pollicentur, militaris & summus magistratus committatur*. Possent enim fieri, ut dux variis corruptelis victû devinctumq; sibi militem nō dimittat, sed ejus manu invadere Remp. jamdum bellicis curis districtam, nec admodum huic rei intentam, haut erubescat. Hinc Veneti, prudentissima gens, & propterea digna tam diuturno imperio & libertate, neminem è nobilitate suâ terrestribus copiis præficiunt, ne, ut loquitur *Comineus VII, 15. edit. Barthian.* eò virtutis auctoritatisve quis ascendat, ut nova pro imperio sibi arrogando moliatur, quæ res Romanos pessum dedit, his vero contingit hujus cautione omnium civilium tumultuum expertibus esse. At obijas mihi, milites duci illustri libentius parere, & foederatas Belgarum, provincias ductu auspicioque Auriacorum Principum felicissimè sibi asseruisse libertatem, sed verum est utrumque, & commodiorem esse sub tali duce militiam, & sæpè etiam ob amorem reverentiamque ducis fortiorem. Hinc quoque hanc à me feres responsionem: Illustrioribus viris rei militaris curam hautquaquam denegandam esse; sed sub hâc exceptione, dummodo ii non sint nimis prævalidi & præpotentes. Et si adhibeantur fortè isti, elegans nobis consilium iterum, Veneti suppeditant d. l. apud eundem p. 501. jungendos nim. *viris nobilioribus quæstores & provisores, qui consiliis omnia & rerum necessariorum*

riarū cura dirigant. Cujus rei & hæc ratio reddi potest, quod hoc modo militē sibi fecerint faventissimum, ut proinde nō facilē in favorem Principum aliquid novi contra se suamq; libertatem moliri potuerit

VI. Nec minoris momenti est: *curare ne magnatum quis, quā etiam sit nobilitate uxorem sibi adsciscat Principe, magno in primis, ac potente, prognatam.* Etenim cum mulierum ambitio maxima sit, filia splendide educatæ, & quæ habent parentes principalis stirpis, nunquam privatam conditionem æquiferent animo. Incitabit quippe semper maritū uxor, privatam ut exuat conditionē, & omnibus quidem horis, maxime tamen quando in amoribus conjugalibus erunt, impellet, ut dominium sibi acquirat. Unde *Clapmarius 4. Arc. 9. ad jura dominationis refert, Ne femina ex Augustā domo pro arbitrio nubere permittatur, cum talibus matrimoniis via ad imperium sternatur.* Addenda est viri Illustris *Christoph. Forstneri ad 1. An. Tac. p. m. 57. & seq. annotatio.* Quam etiam inter causas fuisse dixerim, cur Adoniæ petenti matrimonium Abisagis negaverit Salomon *1. Reg. 2, 24. 25.* Videbat enim prudentissimus rex molitionem rerum novarum in petitione Adoniæ. Sed hæc obiter & ex regno.

VII. Magnā dehinc curā caveat Resp. *ne uni alicui civi omnia temerè ac indulgenter conferat.* Digna est memoriā *Q. Catuli* vox, qui dissuadens legem Gabiniā de piratis industriā Pompeji persequendis in concione dixit, esse quidem præclarum virum *Cn. Pompejum*, sed nimium jam liberæ reipubl. neque omnia in uno reponenda. *Vellej. II, 32, 1.* Quibus verbis *Vellejus* ipsam vim consilii complexus est: Esse & Optimatibus & Populo valde periculosum, si uni alicui extraordinaria, aut summa, aut crebra potestas deferatur: cum præsertim Pompeji magnitudo jam nimia sit, & *περὶ ἰσότητά δημοτικὴν ἀσύμμετρον*, ut *Plutarchi* voce utar. Quales nimium observandos esse cavendosque in republ. liberā peritissimi quippe Politicorum monent. *Aristot. 3. pol. 9.* Potest quodammodo ad *Vellejanam* de *Cn. Pompejo* sententiam accommodari, quod de *Manlio Livius* judicat *6, 20.* quem *virum* vocat, nī in liberā civitate natus esset, memorabilem.

VIII. Pecunia autem sive desit, sive suppetat, seditiosa res est. Quod pulchrè *Aristoteles* explicavit, *Pol. IV. 11.* cū scriberet; optimam eam firmissimamq; esse civitatem, in quā medium genus abundat;

quod nim. ad parendum sit maxime idoneum. Contra vero qui nimiam præstantiam, robore, nobilitate, divitiis supereminent, itemque qui mendicitate aut infirmitate laborant, despectique & viles habentur, difficulter rationi obediunt: sed illi quidem injuriis alios contumeliisque afficere student, magnisque molitionibus per nefas dant operam; hi autem maleficia sectantur, minoribusque in rebus non minus tamen facinora exercent. Quanquam illi magis. Ergo dispiciendum est hic, ne quis nimis ditescat. Præterquam enim quod opes ad rem bellicam & comparandas copias militares, ad corrumpendos aliorum animos & alia infinita obtinenda apprime faciunt: solent etiam parere ferociam & elationem. Quid enim? putemus civili modestia vivere posse, qui ejusmodi mediis aucti sint, quibus vel parari vel augeri potentia optimè potest. Sic Medicæorum familia potentia suæ fundamenta jecit incredilibus divitiis, quas Cosmus superior collegerat; inde Laurentii virtute & prudentiâ tantoperè crevit, ut posteri in eam majestatem, quam hodiè videmus, oppressâ libertate, aut licentiâ verius patriæ adoleverint. Gallici denique regni superiores turbæ, quas meminisse non indigenis modo, sed externis quoque animus horret, prudentum judicio ab nimis procerum opibus ceperunt. Et cum multa in Remp. mala à divitibus perpetrentur, DEUS quoque ipse Reip. suæ suæque gen. i anno Jubilæo sapientissimè prospexit. Legimus enim Mosen jussu divino legem Agrariam tulisse, quæ vetuit, ne quis venditione aut ullo contractu plenum dominium fundi sui transferret in alium. Nam & iis, qui egestate compulsi agrum vendidissent, redimendi jus quovis tempore concessit, & nî redemptus esset, restitui eum gratis in Jubilæi celebritate jussit. Quâ lege hoc omnino respexit divina providentia, ne paucorum opulentia quandoque ceteros opprimeret, notante Petro illo Cænæ I. de Rep. Ebr. 2.

IX. Non præter rem quoque attendat Resp. ne quis largitionibus vel civium vel militum favorem capret, cum nullâ re magis hominum præcipuè verò militum animi quam pecuniâ & donis capiantur; quippe id genus hominum pecuniæ cupidius, fidumque & bonum solo questu, inquit Aurelius Victor in Cesarib. c. 26. Romanâ Rep. adhuc liberâ, præter dona, quibus virtutis causa milites donabantur, suspecta erat largitio, neque decebat militem demereri pecuniis, sed per



per bella civilia adeò invaluit ea res, ut quicumque res novas & dominationem moliretur, milites donis corrumpere. Sic Augustus ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim; munia Senatus, Magistratum, legum in se trahere, nullo adversante: cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent; ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac, novis ex rebus aucti, tuta & presentia, quam vetera & periculosa mallent. Sunt hæc Taciti verba An. I. 2. 2. 3. Sed hæc prolixius deducere, festinantis calami properatio non patitur.

## Remedia firmatam adversus alicujus potentiam.

### C A P I T U L U M IV.

Quoniam autem perdifficile est, omnia prudentiâ, consiliis præcavere, (etenim principia & fundamenta potentiae dum jaciuntur, sæpè vix animadverti possunt; cum tales primùm sibi clientelas comparate, & beneficiis, liberalitate atque comitate alios, quosdam incautos & rerum nescios devincire soleant. Accidit interdum ut nobis vel invitis tenuiora alicujus initia in tantum succrescant, citius ut metuendæ nobis ipsius vires veniant, quam fuerint deprehensæ:) itaque insigni opus erit prudentiâ, ut malo huic prospiciatur, sive ut talis rursus potentiâ privetur suâ. Et hoc est, ad quod noster quoque calamus properat.

II. Quando igitur videt Resp. vel etiam Princeps, (conjugemus enim hîc ista duo) tantis aliquem viribus fretum, ut vel timeri haut vano metu possit cum primis sciat non subito neque ex improvise alas præcidendas, sed sensim aliud quasi agendo, & si possibile sit, eodem modo ipsi vires subtrahendas esse, quo non appareat ejusmodi providentiam tantum eo pertinere, aut per eam homini illi unicè occurrî: ne, si deprehendat in se id statui, in præceptis ruat, suisque consiliis & celeritatem addat, & vehementiori incumbat studio, atque in extrema descendat: sed spe potius denegata sibi recuperandi lentescat paulatim & tractabilior fiat. Ad hoc respexit Pericles, qui cum refrenandos dixisset primum præcipuæ nobilitatis & concitati ingenii Juvenes, addidit mox: *nimis vero favore ac profusa indulgentia pasti, quo minus potentiam obtineant, ne impediuntur: quod stultum sit & inutile*

*inutile eas obtrectare vires, ipse quas fovēris, ap. Val. Max. VII. 2.  
ext. 7.*

III. Progrediamur jam ad alia remedia, & observemus illud quoque: *adjungendum civibus potentioribus sub nomine & titulo collegæ adversarium, quo ipsius prava cupiditates coercentur.* Hoc Patres Romani observarunt, cum adversus Cn. Pompejum Pisonem factiosum & summæ audaciæ adolescentem miserunt, ut haberent in eo præsidium contra Pompejum, cujus jam tum potentia formidolosa erat. Sic iidem cum J. Cæsari obviam ire vellent, Bibulum, actiones ejus qui impediret, ipsi collegam addiderunt. Bono quidem consilio, sed non apto satis medio usi. Non erat is Bibulus, qui cum Cæsare componi posset in republ. gerendâ. Non erat, inquam, idoneus vel calliditate vel auctoritate. In refringendis autem novis consiliis videndum omninò est, quis cui opponatur. Cl. Boecl. n. in Vellej. II, 44, 5.

IV. Alii jubent *magnos cives ad uxores ducendas & liberos suscipiendos adigi*, quorum intuitus patrem reddat amiciorem Reipubl. & hoc præceptum Henricum IV. Gallia Regem in Bironio incautè neglexisse. Sed aliis tam nocere posse videtur istud remedium, quàm prodesse. Nam à voto relinquendi opes atque potentiam liberis, ubi honesta non succedunt, facilè ad scelera transitur, & nisi sint post nos, ad quos improbitatis utilitas redeat, non placet incerta & cum periculo aut brevis denique felicitas.

V. Porro in illos quorum divitiæ privatum modum egressæ sunt, *dignitates conferantur sumtuosæ & quas citra rei familiaris dispendium obire haut possint*, quibus honoratiores quidem sint nihilo tamen valentiores. Huic affine est: *ut legationes iisdem conferantur.* Cujus moniti hodiè Polonos observantissimos esse video. Qui cum plus pompæ & magnificentia publ. (quam maximè frequenti in comitatu ministrorum nobilium ponunt, qui plerumque alios aliquot ministros, & isti tertios habent, qui omnes ejusdem domini impensis aluntur & ab eodem salaria sua accipiunt) quàm rei familiaris incremento studeant, plerumque opulentiores Rex legationibus præficit, non tamen eo sumtu suppeditato, qui vel ad publ. splendorem & legationes gentis pro ingenio peragendas sufficiat.

Hinc

Hinc ne gentis suæ laudi morique quid detrahant, simulque ut Regis sui gratiam singularem obtineant, multum de suo addunt, legationis ad pompam solennius decentiusque exhibendam. Et hoc commento, ut arbitror, eos divitiis Rex ita emungit, eos ut postea fideiorem sibi minusque adversos habeat.

VI. Superiori & hoc affine est, ut cives exundantibus divitiis nobiles impellantur, quo publ. operibus struendis aut iastaurandis suas collocent opes. Sic Augustus in sumtus publice decoros & utiles specie honoris & gloria illexit, (ita enim signanter loquitur Vellej. II, 89, 4.) viros principes. Hoc ego pro omnibus consiliis Rei publ. clayum gerentibus commendandum duxerim, cum præsertim omnis ea laus iudicio posteritatis ad ipsos redundatura sit, neque unquam deerunt occasiones, quibus induci volentes possint ad ærarium sublevandum, & magnificentiam publ. augendam. Quod Bœcleri consilium est, not. h. ad l.

VII. Qui verò nomen, famam, & gloriam habent, longinquis & periculosis legationibus & expeditionibus objici debent, ut, siue succedat negotium, distineantur tamen interim siue non succedat, hoc magis eorum minuat auctoritas, quam alias rerum gestarum excellentiâ meruerunt. Quâ de re loquatur pro nobis qui disertior est, & ad explicanda hujus rei consilia promptior. Fredericus de Marselaer lib. 2. legat. diss. 3. pag. 263. Sic autem ille: Non ambiguus tantum, sed & arduus atque eperosus hic honor est, absentes, atque incautos occupat, ut decipiat; evehit, ut deturbet. In cadentes autem tota mox fortuna ruit, miserisque primo quidem fama eripitur; aliquando etiam (ne quis altum clamet aut conqueratur) quicquid præterea super est. Sanè hi tales non tam legati, quam relegati videntur. Digna sunt inspicere etiam quæ sequuntur. Nobis enim sufficit digitum ad fontem intendisse.

VIII. Ubi autem hæc omnia & similia leniora remedia nihil obtinuerint, ad extremum denique veniendum est, & ut hoc verbis Ciceronianis dicam, urendum secundumque potius ut membrorum aliquod, quam totum corpus intereat. O verba nata in turbas! periissent illa, & calamus, cum scripsi. Et tamen ratione si dijudicamus quid peccant? A veteris medicinæ ritu sumtus sermo, qui

mo, qui in vulnere aut ulcere secabant, & dein sistendo sanguini urebant. Testimoniis hoc crede, & quod dicitur, *Mittatur senex in scholas. Seneca Consolat. ad Helv. cap. 2. à pr. Hoc erit non molli via mederi, sed urere & secare.* Id est durius mederi & asperius. In hac ipsa re *Hieronimus circa finem epist. ad Pammachium* verbo & imagine simili usus: *Scindenda putrida carnes & scabiosum animal à caulis ovium repellendum: ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Quid volo igitur? non ad ferrum aut ignem statim, & Respubl. non: sed tum cum nullo alio modo, ipsorum quam morte astrui securitas Reipubl. potest, ejusmodi trahi, coerceri, puniri. Sic San-Paulinum Magnum Galliae Conestablium interemtum fuisse Polybius Gallicus (*Cominaum* intelligo) tradit. Notandum interim multa diligentia est, ne sententia ejusmodi capitalis citius in aures populares veniat, quam caedes perpetrata sit. Multorum enim tales viri favore ex plebe fruuntur, quæ sicut nunquam jure supplicio adfici eos censet, ita, ubi ad ultima ventum est, in miserationem erumpit. Licetne adscribere verba *Historici Galli?* Ita ferunt, inquit, *populi vices: in contrarium repente mutatur, nullaque mensura miseretur, irascitur, ut quemque presens movet affectio.* *Gramond. H. G. II. pag. 168.* Et sæpius horum virorum supplicia moverunt populum, ut publ. quoque metu in eorum sese vindictam armarit. De cetero cavebit Respubl. ne palam interfici eos curet. In quo negotio certè prudens magnus Dux Moscoviæ Joannes Basilides fuit, uti legere est ap. *Petrijum Hist. Moscovit. part. 2.*

IX. Sed quis omnia potentiae infringendæ consilia hinc explicet? Plura sunt, quam ut concludi se intra terminum Academicæ dissertationis patiantur. Neque id possibile est, omnia stilo exprimere, cum circumstantiarum varia ac diversa ratio varia etiam atque diversa exigat, quibus sibi adversus potentiores consuli postulet. Prudentis igitur viri est, scire sua consilia præsentibus ad casus deflectere, & invenire sæpè aliquid, quod istum extra casum adhiberi haut possit. Qualia multa civili in vitâ occurrunt, in quibus ut te prudentem præstes, non est duntaxat circa generales theses obhæ-

gen-

rendum: sed nervus studii politici in exemplis ipsis considerandis versatur: an huic, & nunc, & tali rerum habitu fuerit in hunc modum aut aliter agendum. Civilis prudentia in nullo ferè genere actionis se per communia regularum & ordinaria sententiarum decreta explicat; sed in accommodandis ad singula rationibus, semper invenit, quod addat, quod interpretetur, vel distingvat, formet, & in quendam quasi genium effingat. Nostro itaque instituto satis nos deservisse speramus, quin & confidimus, dum nonnulla consilia talium cupidis ante oculos posuimus, quorum ad exemplum, & alia excogitari sagaci ab ingenio poterunt, quibus Reipubl consulat, eamque præsentibus sæpè periculis feliciter subducat.

X. Penè præterit quod tamen omninò prætereundum haut fuit, me has & similes artes non eo animo adduxisse, ut informem homines improbos, quomodo proximum innocentem, charitatis contra legem evertere possint. Absit. Sed hæc potius mea mens est, quod his artificiis decipi posse putarem eos, qui ut decipiantur hoc ipso promeriti sunt, quia Reip. insidias ab iis strui constet. Natura quippe plerorumque consiliorum politicorum ea est, ut pro objecti, circa quod versantur, qualitate aut prava aut laudabilia sint, eadem ratione, quâ, liceat mihi simili uti, ignis, qui si ædium incendiis adhibeatur, damnosus; si aliis vero necessitatibus utilissimus est. Sic quod nonnulli ex modo dictis his consiliis usi sint, id veniam mereatur, siquidem certum sit, commodum eos Reipubl. spectasse, ne scilicet ea detrimenti quid caperet. Ex diverso si quis privatas ob similitates aliquem dejicere de gradu suo h. m. velit, id certè vitium foret summâ cum turpitudine conjunctum, & modis omnibus detestandum.

Quibus artibus cives magni irruentem sui perniciem à se amoliri possint.

C A P I T U L U M V.

Placet, hujus occasione loci, paucis quoque differere de modis, qui-

quibus cives magni suam tueri auctoritatem valeant, partim ut pateat, quàm dives & benigna civilis prudentia, quippe quæ omnibus usui esse possit, & quæ declinare adversa contrariisque adimere vim noxiam sciat: partim etiam ne habeant potentes isti, si innocenter vivere velint, & adversus abusus eorum, quæ hæcenus exposuimus remediorum, vindicari se petant, quod conquerantur nullam ipsis relictam viam esse, irruentem qua sui perniciem effugere queant. Multa quippe vir prudens salutisque suæ haut prodigus habet, quibus hoc in discrimine utatur. Nobis verò pauca saltem in præsentia adduxisse sufficiet.

II. Notamus igitur omnium primò, cum satis superque constet, ejusmodi viros invidia everti sapius, providendum diligenti cura magnis & præpotentibus civibus ut quantum fieri potest contra invidiam se muniant. Invidia enim altissimis adhæret. Sapiantissimè *Livius 45,35. invidia, inquit, intacta media sunt, ad summa ferme tendit.* Sed quid remedii ad hanc declinandam? Ut quod sentio, dicam, reor: *utile esse, ut tales omnibus in actionibus suis totaque vitâ moderatè se gerant, & primo quidem in edificando, ne splendide nimis edificent.* Quæ magnificentia Principibus Rebusque publ. suspecta esse solet. *Erat, inquit Tacitus III. Annal. 9,3. de Pisone, inter irritamenta invidia domus foro imminens, festo ornatu, conviviumque & epula.* Conf. *Illustr. Dn. Forstneri n. ad h. l. p. 263. Idem Tacitus lib. 15. An. Nero jubebat prævenire conatus consulis, occupare velut arcem ejus, quia vestinus imminentes foro ædes habet.*

III. Ejusdem notæ est: *ne civium quis munito in loco edificet.* *Livius II, 7. Valerius, ait, consul affectati regni in suspicionem venit, quia edificabat in summa velia. Ibi alto atque munito loco inexpugnabilem fore. Itaque delata confestim materia infra veliam, domus in infimo clivo edificata.* Unde latum ad populum est, ne quis Patriciorum in capitolio habitaret. Quid præterea? Quid Catilina apud Sallustium? Quis mortalium cui virile est ingenium, tolerare potest illis divitias superare, quas profundant, in extruendo mari & montibus coæquandis,  
nobis

nobis rem familiarem vel ad necessaria deesse? Illos binos aut  
amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam  
ullam esse?

IV. Sic etiam magnos cives decet, *ne clientum longum agmen  
post se trahant*, ne dum caudæ pennas adaugent, de alarum pen-  
nis periculum subeant. Præcipue verò clientes illi gloriosi, qui  
*in hoc incumbunt, ut loco buccinarum sint, ad laudes eorum reso-  
nandas, quibus famulantur, haut parum nocent: etenim negotia  
futilitate suâ corrumpunt: tum verò honorem domini sui (si quis  
rem verè reputet) exportant, & mercedem invidia invehunt. Est  
& aliud genus prorsus periculosum, qui nihil aliud sunt, quàm  
spectatores & familia secreta rimantur, ac rursus aliorum auribus  
insusurrant. Attamen hujusmodi homines apud dominos suos  
sepe numero summo in pretio habentur, siquidem officiosi sunt, &  
susurros ferè commutant.* Verba prudentissimi scriptoris Fr. Ba-  
coni *serm. p. 222. & 223.*

V. *Invidie amolenda nonnulli etiam magnos labores, curas,  
& pericula adire non dubitarunt.* Et rectè. Tales enim invidiâ  
minus laborant. Etenim homines misereri ipsorum nonnun-  
quam incipiunt: Misericordia autem semper ferè sanat invidiam.  
Itaque notabis plerumque ex viris politicis, & honore fulgenti-  
bus, magis sanos & sobrios, semper querimonias fundere, qualem  
vitam traducant; canentes illud, *Quanta patimur!* Non quod ita  
sentiant, sed quo invidiæ aciem retundant. Verum hoc intelli-  
gi debet de negotiis, quæ hujusmodi viris imponuntur, non de  
iis, quæ ipsi ad se attrahunt. Nihil enim invidiam magis suscitât,  
quàm ambitiosum & immodicum negotiorum monopolium.  
Nihilque è converso invidiam extinguit magis, quàm si quis in-  
summis honoribus constitutus, aliis officariis inferioribus nihil  
detrahat. Hoc enim modo, quot illi ministri sunt, tot se tegunt  
umbraculis ab invidiâ.

VI. Præterea invidiæ effugiendæ utile erit magnis civibus: *ut  
tempori cedant, eorum conspectui, quibus oculi dolent, se ad tempus sub-  
ducant, & Chabriam Atheniensem imitentur, qui cum videret invi-  
diam gloriæ comitem esse omnisque eminentioris fortunæ, non li-*

benter erat ante oculos civium suorum, sed quoad licebat plurimum Athenis aberat; quod tantum se putabat ab invidia futurum, quantum à conspectu suorum recessisset. Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut libenter de his detrahant, quos eminere vident altius: neque animo æquo pauperes alienam intuentur fortunam. Hæc de causâ Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thraciâ, Timotheus Lesbi, Chares in Sigæo. Dissimilis quidem Chares factis eorum & moribus, sed tamen Athenis honoratus & potens.

VII. Summâ de hinc curâ caveant: ne virtutibus quibus popularis favor cõparatur, hoc est, *humanitati & comitati nimis studeant*. Resp. enim tales ægerrimè fert, tanquam parando imperio fictas: & si deferas mediocritatem, nulla virtus est, quæ non degeneret in vitium. Unde & ap. Romanos Sp. Mælii, Marci que Manlii nimia popularitas signum affectati regni fuit existimata. Inter causas etiam suspecti damnatique Miltiadis comitatem notamus & humanitatem. Et hanc Nepos in eo summam, illam vero miram prædicat, dicens: *In Miltiade erat cum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. Hæc populus respiciens maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore. I, 8, 4.* Multum autem cognatæ quidem sunt *Humanitas, comitasque*, differunt tamen. Namque *humanitas* magis internâ animi affectione atque modestia; *comitas* verò vultu, sermone, gestuque externo magis absolvitur.

VIII. Sed cum ex superioribus, nî fallor, planum sit, frequens id genus esse, ut nim. magni viri palàm sæpe laudentur, quò incautius structis insidiis irretiantur, videamus in præsentia, quid contra hoc dæmoniorum genus (non enim laudem hic dolus alioqui bonus meretur, si eum struamus innocentia) remedii sit. Expostulat cum Deo Choniates in hac re. *lib. 3. in Man. Comnen. O Inspector omnium oculus, quem nemo fallit, cur connives sæpe in his hominum & gravioribus culpis? nec statim immittis ignem, tonitrua & fulmina, sed vindictam super sedens differs? Impe, vestigabile tuum iudicium, & humanis rationibus inaccessum: Nisi quod sapiens profecto es, & norma certa utilitatis, et si nos tenui mente prædictos id latet. At enim venator aliquis serpentem aut leonem densa ju-*  
ba,



ba. qui in montibus videt vel audit, statim effugit, sed & latro aut  
maleficus exorabilis est. & precibus aut lacrymis mollescit: virum  
verò, qui proximo & amico malum in corde machinatur, aliudque  
sentientem, aliud loquentem, multa sapientià est evadere & à divino  
auxilio pendet. Hæc ille. Quare nullo æque remedio te mu-  
nias, quàm candore & precibus ad DEUM fufis. DEUS enim  
non modo amat candorem, sed defendit adversus dolos veterato-  
rum: quorum stygia & ab inferis arcesita arma, ista quam dixi  
lorica cælo Deoque debita, fatis eludet. Plura remedia contra  
hoc nocentissimum laudantium genus desideranti ꝑ. Lipsii notam  
in Polit. 3, 11, 18. commendamus.


IX. Neque nullo loco monitum habendum est, quod sequi-  
tur, & è superioribus intelligitur quodammodò, ne civium quis  
largitionibus aliisque modis popularem auram affectasse videatur.  
Hæc enim causa est, quæ, ut ap. Livium est lib. 4. c. 13. Sp. Mæ-  
lium intererit. Sp. Malius ut illis temporibus, prædives, rem  
utilem pessimo exemplo, pejore consilio est aggressus. Frumento  
namque ex Etruria privata pecunia per hospitem clientiumque mi-  
nisteria coempto, (quæ credo ipsa res ad levandam publ. cura anno-  
nam impedimento fuerat) largitiones frumenti facere instituit; ple-  
bemque hoc munere delinitam quacunque incederet conspectus, ela-  
tusque supra modum privati hominis, secum trahere, haud dubium  
consulatum favore ac spe despondentem. Ipse, ut est humanus a-  
nimus insatiabilis eo, quòd fortuna spondet, ad altiora & non con-  
cessa tendere; & quoniam consulatus quoque eripiendus invitis  
Patribus esset, de regno agitare id unum dignum tanto apparatu  
consiliorum & certamine quod ingens exsudandum esset, premium  
fore. De cetero quomodo consilia ejusdem elusa, & quâ occube-  
rit morte, Livius seqq. prolixè exponit, quæ lectu sanè dignissi-  
ma sunt.


X. Hæc sunt B. L. nostræ de hac nobilissima infimul utilissi-  
mâ materiâ meditationes, brevissimis & velut in transcurso ex-  
positæ. Quas benevolâ ut fronte accipias, erratisque veniam  
des, etiam atque etiam rogo. Ingressi sumus hanc arenam, ut  
disceremus à peritis, sequeremur optimos, jactatione appetere-  
mus  
ni-


nihil, ob formidinem recusaremus nihil, simulque anxii & intenti ageremus. Reficiunt nos & recreant pulcherrima illa *Fab. Quintiliani* verba *Instit. Orat. XII. 6.* quibus Discursui huic nostro Propitio annuente Numine finem imponimus: *Non differendum est Tyrocinium in senectutem, nam quotidie me: us crescit, magisque fit semper, quod ausuri sumus; & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere jam serum. Quare fructum studiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia, & spes est, & paratus favor, & audere non dedecet; & si quid desi. operis, supplet etas, & si que dicta sunt juveniliter, pro indole accipiuntur.*


F I N I S.

Gratias tibi, Domine J E S U!

























94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle 3  
002 381 974




56.

V. 17



**A** **H** omnes et omnia que in  
hominum dicit deo alluere. Eton



69

D. O. M. A.  
DISCURSUS CIVILIS  
*De*  
OSTRACISMO,  
ALIISQ. COGNATIS  
REMEDIIIS;

*Quem*  
Annuente Inclyto Philo-  
sophorum Lipsiensium Senatu,  
Moderante  
*Viro Excellentissimo atq. Clarissimo*  
DN. JACOBO THOMASIO,  
Orator. P.P. Celeberrimo, Collegii minoris  
Principum Collegiato &c.

*Domino Praeceptore ac Patrono observanter  
colendo,*

*Placida disquisitioni sistet*  
ABRAHAM CALOVIUS, REGIOMONTA-  
NUS BORUSSUS,

*A. d. 24. Septemb. A. O. R. cl. lxx.*

*H. L. Q. C.*

---

LIPSIÆ,  
Typis Wittigavianis. *Mons. Zyltel.*